sunt cornuti: naso breui pedibus capri
nis. Tales sunt superbi qui in omni lo
co cornua superbie ostendunt. et habent par
uum nasum discretionis ad salutem propriam
sed habent pedes caprinos currendo ad
luxuriam. Caprea enim velocissimi cursus
est: et ad ascensum prona. Applica ad sup
bos. In ethiopia sunt homines tamen vnum pe
dem habentes: tante tamen velocitatis sunt
vt bestias currendo insequantur. Hij sunt
illi qui habent tamen vnum pedem perfectionis er
ga deum et proximum. s. pedem charitatis. Ta
les sunt veloces versus regnum celeste In
india sunt pigmei duorum cubitorum in lon
gitudine equitantes super hircos et cum
gruibus preliantes. Hij designant illos
qui pui sunt in longitudine bone vite in
choantes sed non perseuerantes. et non
viriliter contra grues. i. viciorum sordes
pugnant. In india etiam sunt aliqui ho
mines sex manus habentes. nudi et pilo
si in flumine morantes. Homines cum
sex manibus designant studiosos. qui la
borant vt vitam eternam obtineant. ps. Ani
ma mea in manibus meis semper. Per homines
nudos intelliguntur peccatores virtutibus
spoliati: qui morantur in flumine istius mun
di. Ibidem sunt homines in manibus et pedi
bus sex digitos habentes. per septima
nam ab omni pollutione peccati se custo
diunt et diem septimum omnino celebrant
et totaliter sanctificant. Et mulieres cum
barbis vsque ad pectus: sed capite earum
plano. Iste designant homines iustos pla
nam viam mandatorum ecclesie obseruantes
qui amore vel odio non flectuntur In e
thiopia sunt homines quatuor oculos ha
bentes. Et designant illos qui timent deum
mundum dyabolum et carnem. Unum ocu
lum dirigunt ad deum recte viuendo. et
quomodo debeant sibi placere. Secundum
ad mundum quomodo debeant eum fugere. Ter
cium ad dyabolum quomodo debeant contra
eum stare. Quartum ad carnem quomodo debe
ant eam castigare. In europa sunt homines
formosi: sed capite et collo gruino cum
rostris. Isti designant iudices qui debent
habere ad modum gruis collum longum:
vt prius prudenter cogitent in corde que
per sentenciam proferenda sunt in ore. Si
sic essent omnes iudices: non tam et tot
male essent sententie.

## De medicina spiritnali.

### Capitulum. clxxvi.

Quidam pu
er erat natus ab vmbilico
et sursum diuisus ita quod habe
ret duo capita et duo pectora: et quodlibet
proprios sensus: ita quod vno dormiente vel
edente: alter non dormiebat. Postquam per
duos annos vixissent: mortuus est alter:
altero in tercium diem superuiuente. Item
sicut dicit Plinius. Erat quedam arbor in
india cuius flores dulcem habent odorem et
fructus saporem. Iuxta cuius situm mane
bat quidam serpens qui iacorlus vocabatur
qui odorem arboris multum odit. Et ideo
vt flores et fructus destrueret: ad radi
cem arboris veniens illam intoxicauit Quod
videns ortulanus illius patrie tyriacam ac
cepit. et in quadam virge summitatem ad
ramos arboris illius supremos infudit quam ci
to venenum expulit a radice infecta et arborem
sterilem fructificare fecit Moralizatio.

Carissimi.

Per istum pu
erum intelligi potest quilibet homo
qui constituitur ex duobus. s. corpore et anima et
quelibet pars sua propria habet opera. Gala. v.
Opera carnis sunt immundicia fornicatio
luxuria. ydolorum seruitus. Opera anime
gaudium et pax in spiritusancto patientia.
longanimitas et huiusmodi. Ista opera sibiinui
cem aduersantur. vna dormiente vel come
dente: altera contrarium semper facit. quia caro
concupiscit aduersus spiritum: Quando enim aia



TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-91/0221
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG